

DE NONNULLIS
VITIIS RENUM CONGENTIS.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARIA

UNIVERSITATE TURICENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICA

HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. IULII ANNI MDCCCXXXIX

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

ERNESTUS AUG. MATTHIAE

WOLLISHOFENIENSI-TURICENSIS.

TURICI

EX OFFICINA ZÜRCHERI ET FURRERI

1839.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1900

CHICAGO

1900

1900

1900

1900

Dubitanti mihi, quamnam ex tanta rerum medicinalium copia ad scribendam dissertationem eligerem materiam, exoptatissimum venit consilium D. Martini Hodesii, huius anatomiae prosectoris, viri praestantissimi inque rebus anatomicis egregie versati: qui mihi proposuit, ut nonnullorum quae museum anatomicum Turicense servat praeparatorum, aliqua vitia renum congenita exhibentium descriptionem meo libello publicarem. Libentissime huic me proposito obsequutum etsi postea quam aliquid temporis in hac disquisitione occupatus fuissem minime fefellerit, abnormitates iis de quibus disserere institueram similes iam satis saepe observatas esse ac descriptas (quas observationes tanta diligentia Io. Fred. Meckel collegit ipsiusque propriis auctas tanto ingenio digessit, ut in hac re difficile sit aliquid post eum novi afferre): tamen descriptionem praedictorum accuratam exemplorum, tum quo ea ab hactenus observatis discrepant, tum quo cum illis congruunt, augmentum quantulumcunque huius anatomiae pathologicae partis fore ratus, in incepto opusculo constitui perseverare. In quo

quidem elaborando egregie adiutus sum benignitate viri clarissimi, professoris Frederici Arnoldi, praeceptoris mei dilectissimi, qui mihi ea qua semper est eximia comitate ac liberalitate non modo libros suppeditarit duoque quae ipse possidet praeparata huc pertinentia describere permiserit: verum etiam, quandocunque consilii egerem, sese adeundi fecerit copiam. Cuius Viri illustrissimi benevolentiae, qua per totum studiorum meorum tempus me habuit, nunquam dum vivam, recordationem omittam.

Ceterum ut tu, lector benevole, imperfectas has litterarum primitias indulgenter recipias, identidem te rogo oroque.

I. Renum defectus.

Utrumque renem defuisse, raro tantum observatum apud scriptores reperimus, idque non nisi in corporibus alias quoque exhibentibus monstrositates. Fleischmann ¹⁾ observavit utriusque renis defectum in foetu septem mensium, in quo cuncta uropoësis et generationis organa et extremitates inferiores deerant; inque alio exemplo ab eo viso totum systema uropoëticum et sexuale, et insuper anus deficiebant. Alia praeter hoc exempla laudavit Meckel ²⁾. Animadversione porro admodum digna mihi videtur esse observatio, quam Kleinium fecisse dicit Andral ³⁾: illum enim invenisse duos ureteres in coecos superne saccos quatuor desinentes, circum quos saccos nullum adfuerit parenchyma renale. Qua occasione Andral scire cupit, num hoc apparatu, cuius tantum ductus excretorii exstiterint, urina vesicae tradita sit?

¹⁾ Godofr. Fleischmann, de vitiis congenitis circa thoracem et abdomen. Erlang. 1810.

²⁾ Handbuch der pathol. Anatomie, Bd. I. p. 610.

³⁾ Grundriss der pathol. Anatomie, übers. von Becker. Reutlingen 1832. Bd. II. p. 363.

Etiam in animalibus monstrosis defectus utriusque renis inventus est ¹⁾.

Plura absentiae alterutrius renis congenitae exstant exempla. Neque vero hoc vitium cum ea confundendum est conformatione, qua ambo renes connati in eodemque latere collocati sunt; ad quod Morgagni, quantum scio, primus animum advertit ²⁾. Interdum autem minime facile est id accurate distinguere, quum et unus ren, cui scilicet pro duobus fungendum est, paullatim crescendo duorum renum connatorum nancisci magnitudinem possit, et contra non raro eveniat, ut duo renes coaliti unum ureterem habeant communem ³⁾.

Ubi tamen unicus adest ren, isque non maior quam solet, dubitatio oriri non potest, quin alter ren deficiat; quales casus observarunt Morgagni, Stoll, Panaroli, Guigneux, Littre, quos omnes iam citat Meckel, et praeter hos Kelch ⁴⁾.

Plerumque quidem unici renis magnitudo normalem modum plus minus superat ⁵⁾ magnitudinem renis, cui alter deficiat, plerumque duplo vel paullo minus duplo vulgaris renis modum superare Meckel dicit. Unicum, quantum scio, exemplum unius renis absente

¹⁾ Gurlt, *pathol. Anat. der Haussäugethiere*. Berl. 1832. Bd. II. p. 398.

²⁾ *De sedibus et causis morborum* Ep. 48. 16.

³⁾ Meckel *l. l.* p. 611.

⁴⁾ *Beiträge zur pathol. Anatomie*. Berl. 1813. p. 48.

⁵⁾ Meckel, *Journal f. anatom. Varietäten, feinere u. pathologische Anatomie*. Bd. I. H. 1. Halle 1805 p. 126.

altero solito minoris narrat Wrisberg ¹⁾ de femina, cuius et vesica urinaria infra solitam capacitatem erat: quam omnes fugiebant quamque maritus deseruerat propter foetorem urinosum intolerabilem, cute et pulmonibus functionis renum partem suscipientibus. — Exemplum unici renis, cuius ipsius tabescentis pelvis immensum in modum distenta erat, notatu dignum Haller ²⁾ refert: »Exemplum renis unici, inquit, in eadem virgine vidi, cui duo erant uteri vaginaeque duae. Ren erat dextri lateris, magnus, quum reliqua viscera, et potissimum intestina, sinistrorsum compulsa essent. Figura ei erat subrotunda, ut non viscus adeo quam tumorem cysticum expectares. In robusta membrana maxima urinae copia fuit, duarum fere librarum. Pelvis erat supra omnem modum distenta. Reliqua pars sacci ren erat, scirrhi quam sui visceris similior, pallida carne, in qua neque corticem separares, neque papillas neque papillarum numerum inire posses. Quum pelvim aperuissem, in eam quasi in recessum aliquem hanc difformem et monstrosam renis carnem vidi prominere. Videbatur aqua retenta papillas distrudisse, quoad interceptus cortex pressus evanesceret. Nullas glandulas in tanta papillarum mole vidi.«

Ad situm unici renis quod attinet, is in longe maiore earum quas novi observationum numero a

¹⁾ Hallers Grundriss der Physiologie, 1788. Not. 73.

²⁾ Opera anat. argum. minora, p. 34.

norma non recedit; apud Hallerum ¹⁾ tamen nonnulla exempla invenio commemorata, quae renem unum in pelvi situm fuisse demonstrant.

Vasorum emulgentium in latere ubi deest ren, plerumque ne vestigium quidem invenitur: idque mihi certissimum videtur esse signum, renem vere et quasi in primo germine deesse neque posteriori tempore aliqua ex causa depravatum esse; cuius modi depravationem Harder ²⁾ enarrat dignam quae referatur: „Ren dexter, inquit, cum suo succenturiante deerat, inque huius vices natura vesicis pluribus, maximis, minutis, et minutissimis, in quae vasa emulgentia egregie inserebantur, corpusculo prospexit. Dissectae hae vesicae interne rugosae erant, aqua limpida viscidiuscula, nec foetente, nec odoris vere urinosi plenae; ureteris vestigium manifeste non deprehendimus, neque hunc ob temporis penuriam accuratius scrutari licuit.“ — Manifesto falsus est Andral ³⁾ in eo quod dicit: „Zuweilen bleibt gar keine Spur mehr von einer Niere übrig; dieses gänzliche Verschwinden derselben habe ich zweimal beobachtet“ etc.; nam e subsequenti duarum observationum enarratione elucet, haec primae vitia conformationis fuisse. Ceterum satis memorabilis est secundus cuius mentionem fecit casus: In iuvene viginti trium annorum, qui, ut ex descriptione apparet, morbo Brightii succubuerat, ren

¹⁾ Elem. physiol. Tom. VII. p. 242.

²⁾ Apiarium. Basil. 1687. Obs. 72. p. 293.

³⁾ l. l. p. 362.

sinister penitus deficiebat; in interna autem aortae facie, eo loco unde arteria renalis nasci solet, erat foraminulum minutissimum, unde vas exiguitatis paene capillaris in telam cellulosa pergebat, quae renis deficientis explebat locum. Eo loco internae vesicae faciei, ubi ureter sese inserere solet, erat foramen valde exiguum, in ductulum coecum ferens. Et hoc in isto exemplo animadversione dignum est, quod morbus Brightii cum tali vitio sese complicavit. In inferiore huius libelli loco etiam de casu renum connatorum disseremus, inventorum in homine qui eodem pluries morbo affectus denique exspiraverat.

Deficiente rene quemadmodum nervi se habeant, apud scriptores quos adire licuit, non inveni, nisi quod Kelch ¹⁾ dicit, in exemplo ab se observato renis sinistri deficientis, ganglion coeliacum eiusdem lateris solito minorem fuisse.

Ureter renis unici plerumque est simplex, ostiumque habet in eodem latere vesicae quod renis est. In exemplo tamen quod narrat Panaroli ²⁾, duae erant pelves renales et duo ureteres, quorum superior dextro vesicae lateri se inserebat, inferior sinistro. In alio exemplo ³⁾ ureter simplex medium vesicae fundum invadebat; sed illic fortasse ren ex duobus erat coa-

¹⁾ l. l. p. 48.

²⁾ Meckel path. Anat. p. 644.

³⁾ Meckel l. l. p. 626. •

litus. Mohrenheim ⁴⁾ in sectione cadaveris renem invenit unicum dextrum, duplo quam solet esse maiorem, cuius ureter simplex ad latitudinem digiti erat amplificatus.

Ren succenturiatus in eo latere ubi abest ren passim aut adesse ²⁾ aut desiderari ³⁾ videtur; plurimi autem scriptores hac de re tacent.

Non multa nota sunt exempla, renis alterius absentiam pravo valetudini fuisse effectum; quod eo minus evenire videtur, quo ren unicus perfectius est conformatus. Littre ⁴⁾ observavit uropoësin incompletam et hydropem universalem, Guigneux ⁵⁾ et Kaltschmied ⁶⁾ calculos qui in rene unico concreverant; morbum Brightii Andral de quo supra diximus; num vero huius morbi et illorum calculorum vera causa fuerit alterius absentia renis, et adfirmare et negare dubito; sane mihi quidem non incredibile videtur, aucta alterius renis functione propter alterius absentiam, irritationem quandam huius organi nasci posse ut multorum radicem morborum.

¹⁾ Wienerische Beiträge zur prakt. Arzneik., Wundarzneik. u. Geburtshülfe. Bd. II. p. 297.

²⁾ Harder, apiarium l. c. Meckel Journal f. anat. Var. p. 126. Videsis etiam infra praeparati descriptionem.

³⁾ Kelch l. l. ubi tamen solitam formam et magnitudinem non habebat. Andral l. l. p. 362.

⁴⁾ Meckel path. An. p. 612.

⁵⁾ Meckel l. l.

⁶⁾ C. F. Kaltschmied, progr. de uno rene in cadavere invento. Ien. 1755.

Etiam apud animalia unius defectus renis est observatus ¹⁾.

Liceat mihi hoc loco praeparatum describere professori Fr. Arnolfo proprium, porculi neonati, in quo praeter alterius absentiam renis alia etiam magis notabilia circa apparatus uropoëticum et sexualem conspiciuntur. Dexter enim prorsus deest ren, cuius etiam vasorum ne vestigium quidem invenitur. Ren sinister, solito positus loco et quod ad magnitudinem ac formam, nihil anomali exhibens, arteria petitur ex aorta originem ducente, quae paullum adsurgens hilo inseritur; venamque mittit ad v. cavam. Adest glandula suprarenalis dextra, eadem, qua sinistra, altitudine locata, et huius quidem vasis in praeparato non parcitum est, sinistrae autem arteria ex aorta editur, venaque ad v. renalem sinistram pergit. Unici renis ureter, ex hilo pone vasa renalia oriundus, est amplissimus multifariamque conflexus, flexuraeque singulae tela inter sese cellulosa connexae, quibus evolutis longitudo eius vulgarem modum longe excedit. Et videtur quidem hic ureter, postquam tergum vesicae latere in sinistro intravit, paullumque sub tunica eius intima descendit, habere aperturam suam subtilissimam in pariete vesicae posteriore satis in medio collocatam; sed fortasse dubitandum est, an hoc foraminulum non sit artificiale, seta scilicet confectum quae per apertum ureterem prope eius in vesicam in-

¹⁾ Gurlt l. l. p. 398.

sertionem introducebatur. Vesicae insolita est forma, admodum in longitudinem protracta, aque lateribus probe compressa. Parietes eius crassi et compacti et undique clausi sunt, nullo ostio aut canali qui urethrae sit similis, instructi; quorum anteriore aperto statim conspicitur corpus subteres, longiusculum, penique simillimum, ab inferiore parietis posterioris parte adsurgens eidemque parieti adclinatum, neque vero ullo loco cum eo nisi in radice cohaerens. Is penis (nam procul dubio pro eo habendus est) circiter tertiae pollicis partis longitudinem aequans, in medio apice ostendit foveolam distinctam quasi ostium urethrae, in quam vero setam introducere non licuit. Ad penis radicem, eo fere loco cui extrinsecus insertio vasis deferentis dextri respondet, foveola parva est, in quam seta non poterat immitti. In superiore parte vesica utrimque paullum dilatatur in sinum coecum, cornu uteri speciem praebens. Vesiculae seminales admodum conspicuae solito loco in inferiore parietis postici parte sunt collocatae, coniunctaeque cum vasis deferentibus, quae e scroto cum vasis spermaticis per canales inguinales adscendunt. Testis et epididymides neque situ neque forma aut magnitudine a norma aberrare videntur. Intestinum denique rectum, pone vesicam situm, coecum in saccum desinit, cuius finis et ossi sacro brevi ligamento, fibroso, satis firmo, et tergo vesicae tela cellulosa adfixus est, ac praeterea cum ima vesicae extremitate filamento quodam cohaeret satis tenui et, quantum mihi quidem videbatur, imperforato. In cute abdomen tegente mam-

mae egregie formatae conspiciuntur, quod mirandum est, partibus genitalibus reliquis masculam formam ostendentibus. Neque ani neque urethrae ullum extus vestigium invenitur.

II. Renum coalescentia.

Accedendum puto cl. Meckelii opinioni, qui hoc vitium ex evolutionis retardatione oriri censet hisce verbis ¹⁾: „Ungeachtet beim menschlichen Embryo noch nicht, wenigstens mit Bestimmtheit, die Verschmelzung beider Nieren zu einer Masse als normaler Zustand erwiesen ist, so erhält diese Vermuthung doch, sowohl durch die von mir bei acht- und zehnwöchentlichen Embryonen gesehene Berührung der Nieren an ihrem untern Ende und die Verschmelzung der Nebennieren in ihrer ganzen Höhe, als durch die von Wolff gegebene Entwicklungsgeschichte der Nieren beim Hühnchen um so mehr Wahrscheinlichkeit, als sie noch bei Fröschen einander in ihrer ganzen Höhe berühren und bei ganz erwachsenen Froschlarven und den Fischen durchaus nur eine Masse bilden. Ich trage daher kein Bedenken, die Verschmelzung beider Nieren zu einer Masse als eine Hemmung der Entwicklung dieser Organe zu betrachten.“

Iam plures huius vitiosae conformationis modi distingui possunt :

¹⁾ Path. An. p. 616.

I. *Renes symmetrice aut in utroque latere aut ambo in medio siti substantia quadam intermedia aut parte aut totis suis corporibus inter sese coniuncti sunt.*

1. *Coniunctio fit in extremitate inferiore per isthmum diversae latitudinis crassitudinisque.* Maxime normae affinis est ea conformatio, qua duo renes non vera substantia renali sed massa quadam tenui, aut laxa, gelatinaeque simili, aut magis ligamentosa cohaerent; cuiusmodi exempla videsis apud Meckelium ¹⁾. Aliis in casibus substantia coniunctiva vera quidem renum est, sed tenuis, paucarum modum linearum non exsuperans; qualia exempla observaverunt Haller ²⁾, Bartholin ³⁾, Petsche ⁴⁾, Meckel ⁵⁾.

Magnus exemplorum numerus eam exhibet conformationem, qua media renum congenitorum pars renum ipsorum latitudinem et crassitudinem fere aequat, ita ut tres partes coniunctae lunae crescentis speciem imitentur. Huiusmodi casus inveniuntur apud Morgagnium ⁶⁾, Baeckium ⁷⁾, Schenckium ⁸⁾, Meckelium ⁹⁾ aliasque ab hoc laudatos. Huc etiam pertinent

¹⁾ Path. An. I. p. 623.

²⁾ Opp. anat. III. p. 40. Attamen illic isthmus quatuor accipiebat arterias unamque venam.

³⁾ Obs. anat. c. II. obs. 72.

⁴⁾ Haller d. a. v. VI. p. 782.

⁵⁾ L. I. p. 622.

⁶⁾ De sed. et caus. Ep. 48. 16.

⁷⁾ Nov. act. soc. scient. Upsal. vol. III. p. 32.

⁸⁾ Obs. L. III. p. 460.

⁹⁾ L. I. p. 621 sq.

tria praeparata in Museo anatomico huius universitatis servata, quorum descriptionem mox afferam. In exemplo denique a Kaltschmiedio ¹⁾ notato coalescentia renum partialem inter et totalem est media; isthmus enim longe superat partes laterales, quae tantum corniculorum instar paullum super illum utrimque prominent.

2. *Coniunctio fit in extremitate superiore.* Haec multo rarior est figuratio quam ante dicta, nimirum, ut Meckel ²⁾ merito dicit, quia etiam normali conditione inferiores extremitates magis sibi appropinquant quam superiores; solaeque de ea observationes, quas inveni, sunt apud Winslovium, Piccolhominium, Bal-leium, Wrisbergium, quos omnes Meckel citat, denique apud Meckelium ³⁾ ipsum. Plerumque pars media est latissima, unde haec exempla Meckel coalescentiae totali adnumerat.

3. *Reνες totis corporibus coaliti sunt*, ita ut quasi unam massam efficiant in columna vertebrali sitam, plerumque irregularem, et in qua saepe non facile discernas qui sint renes ipsi et quae substantia eos coniungens. Tales casus descriptos invenies apud Hallerum ⁴⁾ Meckeliumque ⁵⁾ qui etiam alios laudavit. Interdum renes videntur non iuxta sese collocati sed

¹⁾ L. l.

²⁾ Journ. f. anat. Var. p. 137.

³⁾ Path. An. I. p. 185.

⁴⁾ Opp. anat. min. III. p. 42 sqq.

⁵⁾ Path. An. I. p. 617 sqq. Journ. f. anat. Var. I. p. 135.

alter alteri impositus esse, cuius conformationis exemplum refert Haller ¹⁾.

II. *Renēs coaliti in eodem latere collocati sunt.* Huiusmodi casus non raro, ut iam superiore loco diximus, confunduntur cum unius renis defectu; neque semper facile est talem confusionem evitare. Sequimur Meckelium, quum dicit, in universum, duos renes adesse, et ex duorum praesentia ureterum et ex magnitudine renum connatorum magis speciosa cognosci.

Ut ex eo quod modo diximus apparet, renum coalescentiam non raro renum deficientiae esse affinem, ita plerumque evenit ut hoc vitium congenitum cum profunditate situs complicationem ineat ²⁾: quod e. g. in Kelchii exemplo et in Halleri ³⁾ observatione, nec minus in duobus praeparatorum quae subinde describam, inventum est.

Etiam hoc situs renum coalitorum secundum Meckelium saepe abnormis est, quod etiamsi inferioribus tantum extremitatibus coaliti sint, tota tamen altitudine sibi sunt propinquiore vasisque brevioribus adeuntur. Interdum vero contrarium evenit, ut in exemplo ab Hallero ⁴⁾ descripto.

Hilos renum coalitorum plerumque magis ad faciem anteriorem quam solent conversos esse ex eo-

¹⁾ L. I. p. 42. sq.

²⁾ Meckel, path. An. I. p. 624. Otto path. An. p. 308.

³⁾ L. I. p. 43.

⁴⁾ L. I. p. 40.

rum descriptionibus scriptorum, qui huius rei mentionem faciunt, satis elucet, idque etiam in praeparatis nostris conspicitur. Praeterea etiam hili saepe solito maiores esse videntur, scilicet isthmum versus sese protractantes et in nostrorum uno praeparatorum utrimque in hilum ipsum porrigentes. — Num etiam apud bruta haec ita inveniantur nescio; in exemplo quidem, quod narrat Gurlt¹⁾ de perosomo elumbi, renum marginibus internis connatorum facies inferior, i. e. quae ad cavum abdominis spectat, plana est, ea autem, quae ad columnam vertebralem est conversa, habet hilum magnum vasis sanguiferis permeatum duasque separatas pelves continentem, quarum ureteres circum marginem anteriorem ad faciem planam reflexi posteriora petunt vesicamque intrant.

Quod ad vasorum rationem, quae renes adeunt coalitos, commemorandum est, numerum eorum in exemplorum plerisque adauctum esse, idque praesertim in iis casibus, ubi renes suis lateribus positi isthmo quodam inter se cohaerent. Praecipue autem arteriae isto se modo habere videntur, minus venae. Neque modo partes laterales i. e. renes ipsi saepissime duplicem vel triplicem arteriarum accipiunt numerum, verum etiam propria vasa ad isthmum contendere solent, cuius vasorum numerus non raro est auctior quam renum ipsorum. In Halleri exemplo modo laudato quatuor isthmus arterias recipiebat,

¹⁾ L. I. p. 399.

unamque emittebat venam, quarum arteriarum duae ex aorta descendebant, alterae duae ex a. iliacis surgebant; venae insertio erat in v. iliacam sinistram. In exemplo a Baeckio ¹⁾ adlato tres arteriae in isthmum pergebant, ex aorta duae, una ex a. iliaca dextra; venaque una ex eo proficiscebatur ad v. cavae bifurcationem. Praeterea v. renalis dextra duplex erat. Videsis etiam descriptionem praeparati 1. et 2. infra subsequentem, quae duo exempla et hoc sunt notabilia, quod, tribus arteriis isthmum petentibus, nulla ex eo vena egreditur. — Maximam vasorum renes connatos adeuntium frequentiam a Kelchio puto esse observatam ²⁾; cuius in exemplo undecim arteriae separatae in renes distribuebantur, ex aorta, a. iliacis, et a. hypogastrica orientes, solito angustiores, quarum arteriarum non minus quinque isthmus accepit; venae in quatuor truncos v. cavae se inserentes colligebantur. In renibus tota substantia connatis numerus auctus vasorum neque tantus esse et minus frequenter occurrere videtur. In Halleri exemplo supra citato tres arteriae renum massam inibant, unaque vena proveniebat. In praeparato quod servat Meckel, ambo renes communem habebant arteriam, cuius truncus dextrum adibant latus, ad sinistrum vero ramum magnum, brevem tamen et transverse iacentem ablegabat; ac praeterea uterque ren accipiebat propriam arteriam et unam venam emittebat.

¹⁾ L. 1.

²⁾ L. 1. p. 52.

De ureterum quoque in hoc vitio conditione nonnulla dicendum puto. Sunt plerumque duo ureteres, solito modo e partibus renum coalitorum lateralibus orientes; pelves renales hili aequant longitudinem et in nostris praeparatis ad sacci formam extensi sunt. In Mohrenheimii autem exemplo duo ureteres e substantia media originem ducebant, et in Kaltschmiedii praeparato ureter sinister eo loco progrediebatur ubi isthmus in partem lateralem transibat; dexter vero duobus compositus erat truncis, quorum externus eodem quo sinister modo in altero latere, internus autem e medio isthmo oriundus erat. In eo casu renum tota substantia connatorum quem Hallerus descripsit, duo ureteres e facie anteriori evadebant; in simili Meckelii exemplo pelves renales itidem ex anteriore massae coalitae facie prodibant, atque eminentia longitudinali per totam substantiae mediae protracta altitudinem duosque fere pollices lata separabantur. — In renibus connatis idemque latus occupantibus modo duplex modo simplex est pelvis renalis et ureter. Si sunt duo ureteres, id quod frequentius accidit, insertionis eorum in vesicam ratio multis variationibus obnoxia est, modo utroque in idem vesicae latus, modo superiore modo inferiore in idem, altero in alterum huius organi latus pergentibus. Etiam simplicis insertio ureteris non semper sibi constans, et quamquam plerumque in idem vesicae latus fit quod reni respondet, tamen etiam in medio vesicae fundo inventa est ¹⁾.

¹⁾ De hac ureterum ratione cf. Meckel. path. An. p. 626 sq.

De glandularum ratione suprarenalium, renibus coalitis utrumque latus occupantibus, nihil dicendum est, quum a norma aberrare non videantur. In exemplo renum tota substantia cohaerentium, quod affert Haller ¹⁾, renes a capsulis renalibus remoti erant, quippe profundiore loco siti; et capsulae ipsae non erant triquetrae, quae est forma in homine solita, sed ovaes. Renibus denique unum in latus coniectis, glandula renalis alterius lateris eodem modo se habet, quo si alter ren deficiat, de quo iam supra disseruimus. Cf. etiam Meckel. path. Anat. I. p. 628.

Pauca admodum inveni exempla, damno hoc vitium congenitum valetudini fuisse; solus, quantum scio, Morgagni ²⁾ est, qui detrimenti ex hoc vitio orti exempla referat, his quidem verbis: „ — — — si Piccolhomini et Azzariti excipias observationes, quorum ille malam corporis constitutionem fuisse indicavit ab isthmo fortassis v. cavam et arteriam magnam premente, eoque utriusque muneri officiente; hic vero ab eadem causa aneurysma repetebat arteriae illius, inter appendices diaphragmatis ortum, quod et vertebrae eroserat, et magna demum sanguinis copia, in sinistrum thoracis cavum effusa, vitam ademeral.“ Vesalius ³⁾ se vidisse affirmat, „naturam interdum in habentibus ventrem impense prominulum et vitiatum

¹⁾ L. I. p. 43.

²⁾ L. I. p. 550.

³⁾ De corp. hum. fabr. L. V. c. 10.

costarum ductum, unum et maximum renem moliri⁴; sed neque subsequentes scriptores ullas observationes huic similes fecerunt, neque ex Vesalii verbis elucet, num illa corporis deformitas cum valetudinis turbatione fuerit coniuncta. Neque ego putaverim, in illo homine, ex cuius cadavere praeparatum nostrum primum est desumptum, talem renum deformitatem ad hydropem albuminosum contribuisse generandum; quamquam sane memorabile est, in isto potissimum homine, qui hoc renum morbo identidem laboraverit, denique hoc vitium congenitum esse inventum.

Iam sequatur trium praeparatorum, quae in museo anatomico huius accademiae servantur, expositio.

1. *Renes, ureteres et vesica fabri ferrarii*, qui ante hunc annum et dimidium, tertium morbo Brightii¹⁾ affectus in nosocomio Turicensi mortem obierat. Magnitudo renum satis conspicua, utriusque fere aequalis; parte superiore pollices circa 2 $\frac{1}{2}$ lati, inferiore paullo minus; inferne ambo substantia media coniuncti, quae est duos pollices alta, unumque crassa, et vera substantia renum est, ut mihi incisione facta apparuit. Hic isthmus iacet ante aortam venamque cavam paululum supra earum bifurcationes; praeparato vero e cavo abdominis remoto non possum referre ad quotas vertebrae hi renes connati fuerint collocati; com-

¹⁾ Quod etiam sectione facta ex interno renum habitu apparuit, scilicet granulationibus istis albidis, quas Bright describit, magno numero substantiam tubulosam circumdantibus.

peri tantum, eos paullo inferiore loco quam solent, positos fuisse. In parte dextra isthmus cum rene plane est continuus, in sinistra levi quadam incisura a rene sinistro infra discernitur. Hili amborum renum magni magisque quam solent antrorsum spectantes. In hilum dextri renis duo ingrediuntur arteriae, quarum superior e latere aortae dimidium fere pollicem infra arteriam mesentericam sup. originem ducens, in quatuor ramos divisa ad superiorem renis dextri partem progreditur: quorum summus supra hilum substantiam renis petit, reliqui autem parti superiori hili sese immittunt. Inferior arteria loco sesquidigito inferiore sub a. mesent. inf. ex aortae latere oritur inque partem hili inferiorem sese inserit. Venae duae, e superiore hili parte una, e media altera provenientes cum v. cava altera paullum infra alteram se coniungunt. — Ren sinister item duas accipit arterias, quarum utraque circa duabus lineis inferiore loco editur quam ea, quae in latere dextro ipsi respondet; similique deinde quo dextra modo inseritur. V. renalis sinistra simplex compluribus ramis e partibus hili diversis egredientibus componitur, ac praeterea v. succenturiata sinistra, cuius tamen glandula suprarenalis praeparato est adempta. — Isthmum denique a tergo tres petunt arteriae, una superior media ab aorta unum pollicem supra eius bifurcationem ablegata, duaeque inferiores laterales, in praeparato abscissae, sed dubio procul ab arteriarum iliacarum una vel utraque ortae. Venae ex isthmo progredientis nullum vestigium inveni. — Pelves renales magnitudini hili responden-

tes, capacissimae, sacciformes, ad isthmum usque sunt protractae; ex quarum utraque simplex ureter descendens solito loco in vesicam angustam parietibusque crassissimis et egregie musculosis instructam se inserunt.

2. Pelvis feminae carcinomate uteri mortuae, cum ima parte columnae vertebralis. Renes extremitatibus inferioribus coaliti, partibus superioribus magis extrorsum quam solent conversi sunt. Substantia extremitates inferiores coniungens duorum et dimidii pollicis altitudinem aequat, sinistra tamen parte paullo latiore quam dextra, ipsique quartae vertebrae lumbari incubat. Et superiore quidem margine in renum substantium sine ulla distinctione continuatur, inferiore autem utrimque incisura non ita profunda ab illis separatur. Renes ipsi non sunt aequales; sinister enim solitam habet magnitudinem, aut paullo superat, dexter solito multo minor et angustior est; qualem conformationem transitum efficere ad eam, qua ambo renes in unum latum sint coniecti, Meckel dicit ¹⁾. Hili sunt maximi et in facie anteriore potius quam interna siti; pelves renales ingentes et praesertim dextra, quae est minoris renis, in sacci formam extenta. Ureter dexter in primo quidem decursu solito se habet modo, mox autem amplificatur ad dimidii pollicis latitudinem et in eodem loco adhaesiones inivit cum parte dextra ossis sacri; infra quam dilatationem su-

¹⁾ L. I. I. p. 626.

bito ad priorem modum redit, neque vero hic tam laevis ac teres est ut solet, sed inaequalis, tuberculosus, materique quadam saniosa illitus, carcinomate scilicet correptus, quod totam portionem uteri vaginalem et magnam uteri ipsius partem ureteri propinquam destruxit. Specillo parti eius superiori immisso tantum usque ad finem dilatationis permeabilis fuit. Ureter sinister nullo modo a normali ratione aberravit. — Arteria renalis dextra, satis tenuis verum longa, unum dimidiumque pollicem supra a. mesent. inf. ab aorta edita ad supremam hili partem tendit. Duas ren sinister accipit arterias, quae paullo infra dextram, distantia non plus duarum linearum inferior a superiore, ex aorta oriuntur. Superior arteria in duos dividitur ramos, quorum inferior hilum, superior autem substantiam supra hilum ingreditur. Arteria inferior item paullum supra hilum in renem sese immittit. — Tribus isthmus arteriis nutritur, quarum una satis conspicua e bifurcatione aortae prodiens mediam ad faciem isthmi posteriorem pervenit, duaeque reliquae ex a. iliaca sui quaeque lateris oritae incisuras marginis inferioris petunt. — Vena renalis dextra duobus componitur ramis, quorum alter ex hili parte superiore, alter e media provenit. V. renalis sinistra componitur 1) compluribus venis e superiore hili extremitate egredientibus, 2) V. spermatica interna sinistra, 3) V. suprarenali. V. renalis sinistrae in v. cavam insertio superior est quam dextrae. — Venae quae ab isthmo ederetur, nullum reperi vestigium.

3. **Renes inferiore extremitate connati.** Isthmus c. 1 $\frac{1}{2}$ pollicem altus, margine superiore unum dimidiumque, inferiore tres pollices longus est; massa tota coalita longitudinem 13 pollicum aequat. Magnitudo renum regularis. Isthmus margine et superiore et inferiore incisuris levibus a renibus ipsis disiunctus. Hili paullum antrorsum spectantes sunt maximi, et utrimque partim in isthmum ipsum porrigentes, praesertim sinister. Pelves renales sunt sacciformes; ureteres nullam abnormitatem ostendunt. — Duabus ren dexter arteriis petitur, quarum altera adit superiorem hili partem, altera imam eius extremitatem incisuramque isthmum a rene sinistro margine in superiore discernentem. Duae venae e superiore et media hili parte editae ad v. cavam pergunt. — Arteriarum in sinistro rene dispositio fere eadem, nisi quod inferior arteria ramum ad superiorem isthmi partem ablegat. V. renalis sinistra hoc modo composita est: v. spermatica int. sinistra, ad faciem renis sinistri anteriorem adscendens venam accipit ex inferiore hili parte proficiscentem, duobusque ac dimidio pollice altius cum pluribus venis e summo hilo ortis et cum v. succenturiata confluit, unde truncus communis v. renalis sinistrae gignitur.

III. Situs renum profundus.

Hoc vitium plerumque in uno tantum rene observatur ¹⁾, altero locum solitum tenente; sane quidem

¹⁾ Meckel Journ. f. anat. Var. p. 121. Path. An. I. p. 630.

praeter observationem Gurltii¹⁾ (in monstroso animali, quod habebat ambos renes in introitu pelvis sitos, ureteresque amplissimos, flexuosos, in vaginam sese aperientes) nullum exemplum inveni, ex quo didiscamus, ambos renes non inter sese cohaerentes pari modo in profundo sitos fuisse. De coalitorum quidem renum profunditate iam supra diximus.

Utrius lateris ren saepius huic vitio sit obnoxius dictu difficile est; videtur tamen mediocrem quidem profunditatem ren dexter crebrius ostendere (quippe qui etiam naturali situ rene sinistro paullo sit profundior), ultra hanc vero mediocritatem aut neutrum latus alteri praevalere, aut sinistrum etiam dextro²⁾. Profundum renum situm praecipue apud sexum muliebrem inveniri Meckel affirmat³⁾.

Plures (id quod iam tetigimus) huius abnormitatis sunt gradus. Ren enim aut inferiore tantum loco vertebrarum lumbalium supra os sacrum iacet, aut in ipso promontorio, aut parte aut toto corpore in pelvi est situs, et ibi quoque aut altiore aut profundiore sede collocatus. Praeter exempla quae maxima cum cura et diligentia congegessit Meckel⁴⁾, et praeter illud quod infra describam etiam unum affert Andral⁵⁾, renis in hypogastrio iuxta vesicam siti, cuius arteria

¹⁾ L. I. p. 399.

²⁾ Meckel Journ. f. anatom. Var. p. 122. Path. An. I. p. 632.

³⁾ Path. Anat. I. p. 636.

⁴⁾ L. I. p. 635.

⁵⁾ Path. Anat. II. p. 364.

ab a. hypogastrica edebatur, ureterque brevissimus solito loco in vesicam sese inserebat. Qua data occasione merito Andral observat, quo loco alicuius arteria organi a trunco edatur, minimi ad normale organi incrementum et functionem esse momenti.

Hoc quoque ren profundus a normali situ interdum differre videtur, quod magis internus est adque lineam corporis medianam propius accedit. Ita quidem sese habet in Eustachii¹⁾ casu, ubi ren sinister ipsis vasis iliacis sinistris incubat; et magis etiam in nostro praeparato, in quo ren sinister medium ipsum tenet, anteriori ossis sacri faciei adpositus. In aliis exemplis quae mihi licuit adire, nihil hac de re invenio commemoratum.

Forma²⁾ renis profundiori loco siti plerumque insolita est et diversissima. Observatus enim est talis ren subquadratus, aut in lobos ut apud foetum divisus; in maximo autem exemplorum numero est subrotundus, multisque incisuris praeditus, irregularibus, lobulosam structuram repraesentantibus.

Pelvis renalis³⁾ paene semper in facie anteriore renis profundi sita est, sed substantia renali parum circumdata, hilo carens; et ureter secundum Meckelium semper eo est brevior, quo vesicae ren magis

¹⁾ De renum struct. Tab. IV, fig. 5. Hoc exemplum etiam vena memorabile est, quae simplex e rene orta mox in duos ramos dividitur, diversissimis locis v. cavam petentes.

²⁾ Meckel path. Anat. I, p. 332 sq.

³⁾ Meckel l. l.

adpropinquat. In Eustachii tamen exemplo a facie renis posteriore ureter emittebatur, faciesque anterior, quantum quidem ex delineatione potest concludi, omnino plana erat ac laevis.

De similitudine, quam tales renes et profundo situ et forma et pelvis collocatione cum renibus animalium ostendant, ipsum audiamus Meckelium¹⁾: »Die tiefe Lage der Nieren, inquit vir clarissimus, und ihre meistentheils rundliche Form, so wie die Lage des Nierenbeckens an ihrer vorderen Fläche ist besonders auch wegen der Thierähnlichkeit, welche diese Bildung darbietet, merkwürdig. Bei allen, die Säugethiere ausgenommen, reichen die Nieren mit ihrem unteren Ende beinahe ganz bis zum Kloak oder der Blase herab, und bei den Schildkröten ist vorzüglich die gleichzeitig stattfindende rundliche Gestalt derselben merkwürdig. Auch kommt diese Lage der Nieren beim Menschen vorzüglich mit der bei den Schildkröten normalen insofern überein, als hier nicht, wie bei den übrigen Thieren, diese Organe mit ihrem obern Ende weit nach oben reichen, sondern mit ihrer ganzen Masse tief herab gedrängt sind.»

Vasa renis profunde siti quomodo se habeant, id Meckel²⁾ collectis singulis de hac re observationibus tam bene exposuit, ut fere nihil mihi reliquerit, quod addam. Hoc modo post eum repetere mihi liceat, rarissimo haec vasa inveniri simplicia, cuius rei exem-

¹⁾ L. I. p. 635.

²⁾ L. I. p. 635.

plum praeter Trewium, quem Meckel laudat, etiam Andral affert casu, cuius supra mentionem feci, in quo unam tantum arteriam ex hypogastrica orientem commemorat. Ceterum naturae est congruum, ut vasa quae organon inferiore quam solet loco situm adeunt, etiam ex inferioribus locis proveniant, scilicet aut ex infima aortae et v. cavae parte prope earum bifurcationes, aut ex bifurcatione ipsa, aut ex vasis iliacis aut ex vasis hypogastricis, aut denique ex horum vasorum compluribus simul, pro sede renis plus minus profunda.

Renis profunde siti glandulam suprarenalem in hac positionis aberratione renem minime sequi, verum sedem solitam occupare, omnibus comprobatur descriptionibus, in quibus hanc ad rem attentio conversa est. Etiam Eustachii descriptio ac delineatio renis profunde collocati huc videtur pertinere: nam id, quod renem sinistram superiorem appellat, haud dubitandum est quin sit ren succenturiatus¹⁾.

Professor Arnold in possessione est inferioris partis trunci infantis neonati, sexus masculini; qui egregium praebet exemplum profundi renis alterius situs. Dexter quidem ren vulgari modo collocatus accipit duas arterias, ex aorta duarum circiter linearum inter ipsas distantia originem ducentes: quarum superior,

¹⁾ L. l. in explicatione tab. IV. fig 5. Hoc corpus ita ab eo describitur: „Alter sinister renis praeter naturam admodum parvus, figurae triangulae et satis depressae, sola substantia similis ei, qui naturalis est; vase urinario et arteria destituitur.“ —

a. suprarenali ablegata, pluribus ramis in hilum ingreditur, inferior autem est simplex. Ureter dexter, sub illarum insertione arteriarum ortus, simplex est amplitudinisque conspicuae. Renis sinistri situs est plane pelvinus, prorsus in medio ad faciem ossis sacri anteriorem, interque aa. iliacas primitivas; paullo minor est dextro et figura magis ovali vel subrotunda; facies eius posterior plana est, faciei autem anteriori lobulus renalis minor subrotundus tanquam umbilicus adfixus est, incisuraque fere circulari ab reliqua renis substantia distinctus. Duae hunc renem petunt arteriae, quarum superior ex ipso bifurcationis angulo, inferior a parte sinistra ex a. iliaca sinistra editur. Venis in hoc praeparato parum est parvitas: quare neque earum numerum neque origines aut insertiones referre licet. Ureter sinister ex incisura supra dicta faciei anterioris provenit, alteroque dimidio brevior in latere sinistro eodem modo ut in dextro dexter in vesicam inseritur. Glandula suprarenalis sinistra quoad magnitudinem, formam situmque omnino normam sequitur, accipitque, quantum videre potui, tres arterias ex aorta orientes.

THESES DEFENDENDAE.

1. Arteriis inest propria vis motoria.
 2. Arteriarum pulsus impeditae circulationis signum.
 3. Respiratio est actio mere voluntaria.
 4. Non est signum pathognomicum febris.
 5. Gangraena nosocomialis nihil nisi symptoma morbi.
 6. Tumores qui dicuntur lymphatici perperam ita nominantur.
 7. Febris hectica amputationem non contraindicat.
 8. Arteriarum ligatura post amputationem reiicienda.
 9. Canceri aperti operatio admittenda.
 10. Forceps frequentius quam vulgo solet, est applicandus.
 11. Infans utrum post partum vixerit, nec ne, singulis signis non dignoscitur.
 12. A praxi medica mulieres sunt excludendae.
-

THESES DE TROISIEME ANNEE

1. Etude sur la question de la...
2. Etude sur la question de la...
3. Etude sur la question de la...
4. Etude sur la question de la...
5. Etude sur la question de la...
6. Etude sur la question de la...
7. Etude sur la question de la...
8. Etude sur la question de la...
9. Etude sur la question de la...
10. Etude sur la question de la...
11. Etude sur la question de la...
12. Etude sur la question de la...
13. Etude sur la question de la...
14. Etude sur la question de la...
15. Etude sur la question de la...
16. Etude sur la question de la...
17. Etude sur la question de la...
18. Etude sur la question de la...
19. Etude sur la question de la...
20. Etude sur la question de la...